



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

Luxemburgi, 1740

XXVI. Confirmantur Breve Benedicti XIII. super dismembratione
quorundam Conventuum a Provincia Terræ Carmelo, ac erectione
Provinciæ Neapolitan.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74733)

obsequium adhibere studeant, amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & ipsorum modernorum Votantium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, alisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia & mera liberalitate Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictis modernis & pro tempore existentibus Votantibus Signaturæ Justitiæ hujusmodi usum Mantelli Magni, Mantellone vulgariter nuncupato, ac Pilei Pontificalis, ac eorumdem ornamentorum, quibus Cappellani Nostris, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Camera Apostolicæ Clerici Præsidentes in solemnibus equitationibus utuntur & fruuntur, tenore præsentium concedimus pariter & indulgemus.

§. 3. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quod spectat & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari; sique in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25. Januarii 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

XXVI.

Confirmatur Breve Benedicti XIII. super dismembratione quorundam Conventuum a Provincia Terræ Laboris Ordinis Fratrum B. M. de Monte Carmelo, ac erectione Provincie Neapolitanæ.

Dat. die 27. Januarii Anno 1731. Pontif. I.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis divinitus Pastoralis officii munere illis, quæ pro felici Religiosorum Virorum directione & tranquillitate provide prouiderentur ab hac Sancta Sede constituta esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, libenter, cum id a Nobis petitur, Apostolici muniminis Nostris præsidium adiungimus.

Causæ erectionis Provincie Neapolitanæ a Bened. P. P. XIII. factæ.

§. 1. Alias siquidem se, re. Benedictus PP. XIII. Prædecessor Noster ad sedanda gravia animorum dissidia, quæ inter Religiosos Conventus Carmeli Majoris nuncupati Civitatis Neapolitanæ, Provincie Terræ Laboris Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, ac reliquos Fratres Provincie hujusmodi intercedebant, eundem Conventum Carmeli Majoris cum decem ejus Grangiis, necnon quinque alios Conventus a prædicta Provincia dismembravit, illosque in novam ipsius Ordinis Provinciam Neapolitanam denominandam erexit, facta tunc existentis Procuratori Generali dicti Ordinis potestate novæ Provincie sic erectæ incorporandi alium Conventum, Montis Sancti itidem nuncupatum, Civitatis & Or-

dinis præfatorum, qui dudum Acephalus, ac independens reperiebatur; statuitque, ut electio Prioris Provincialis, cæterorumque Superiorum & Officialium ejusdem novæ Provincie ad præscriptum Constitutionum dicti Ordinis, Apostolica auctoritate confirmatarum, quamprimum fieret, & alias, prout uberius continetur in ipsius Benedicti Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis, tenoris, qui sequitur videlicet: BENEDICTUS PP. XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Inter gravissimas Apostolicæ servitutis curas &c.

Cætera legere est in Constitutione LVI. in Tom. XIII. pag. 165.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Fratrum supradictæ Provincie Terræ Laboris Nobis nuper expositum fuit, præfata Benedicti Prædecessoris literæ ante quinquennium executioni demandatæ fuerint, ex eo vero tempore dicta Provincia summa quiete & pace religiosa, benedicente Domino, fruatur, non sine modico in ea regularis disciplinæ incremento; ac interim bina ibidem Capitula Provincialia sine ulla vel minima perturbatione celebrata fuerint, ac propterea ipsi Exponentes præmissa pro majori eorum robore & subsistentia, exactioreque observantia, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiti summopere desiderant; Nos eorumdem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Benedicti Prædecessoris literas, cum omnibus & singulis in eis contentis, eadem auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

§. 3. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectu inconvulso observari; sique in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis illis, quæ in præinsertis literis concessa sunt non obtare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Januarii 1731. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Confirmatur Resolutio nuperi Capituli Generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, ac Breve confirmationis Benedicti Papæ XIII. circa nonnulla humilitatis officia per eundem Ordinis Donatos exercenda, cum derogatione cujusdam decreti ab Auditore ejusdem

Ad petitionem Fratrum Provincie ejusdem.

Literæ Benedicti PP. confirmantur.

Addita Brevis hujusce validitate, & observantia.

Cum contrariis derogatione.

XXVII.

Papæ